



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

288. An inhabilis ipso jure, aut privatus ipso jure voce passiva ante sententiam declaratoriam, teneatur in conscientia non consentire electioni aut confirmationi; vel si consenserit & receperit ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

ipso jure. Pirh. n. 43. ad h. t. Primum habetur c. quamquam. h. t. in 6. & c. annotuit. h. t. juncta gl. v. nullam. Secundum c. Si compromiss. Porro qualiter easdem poenas incurrant conferentes indigno, vel confirmantes electum indignum, Vide apud Pirh. an. 43. & seq.

Questio 285. An, qui alium eligit ad praelaturam, in qua obtinenda illum simoniam commisisse novit, praeter dictas poenas incurrat ad huc aliam?

Respondeo praeter triennium, quo talis suspensus est à beneficiis, quæ in illa Ecclesia jam obtinuerat, esse inhabilem ad dignitatem vel beneficium aliud in illa Ecclesia (non verò in alia) obtinendum c. per inquisitionem h. t. Verum ista inhabilitas ad beneficia obtinenda accessorie sequitur ipsam suspensionem à beneficiis obtentis, ideòque etiam secundum illam regulari, & restringi debet dicta inhabilitas, nimirum respectu beneficiorum obtinendorum in illa Ecclesia tantum c. eod. Abb. ibi. n. 8. Pirh. n. 64. h. t.

PARAGRAPHVS V. De qualitatibus eligendorum.

In presenti quaeretur de iis solum qualitatibus, quas specialiter respicit electio; actum enim est fusè in prima parte de cæteris, quæ in quolibet promovendo ad praelaturas & beneficia, sive per viam electionis, sive per viam præsentationis, & institutionis, aut etiam liberæ collationis requiruntur; puta de ætate, sanitate & habilitate corporis, scientia, legitimitate, libertate, monogamia, fide, clericatu, sacris Ordinibus, carentia censurarum & infamiae, &c. Unde in presenti vix aliud superest examinandum, quàm de voce passiva privatis, de rejectis femel ab electione, de indistinctis ab eligentibus, de extraneis, seu qui non sunt de gremio, de non professis respectu dignitatum regularium, an sint eligibiles. Unde sit

Questio 286. An ipso jure privatus voce passiva, vel redditus inhabilis ante sententiam declaratoriam criminis (de privato enim per sententiam, vel etiam per sententiam declarato; quòd commiserit crimen, pro quo lata est pœna privationis vocis passivæ, constat eum ab electione excludendum, ejusque electionem esse evidenter nullam) possit ab electione excludi vi, & impediri, ne eligatur. De cæterò enim dubium non est, quin Electores pro libitu suo possint talem, ut & quemcumque alium nolle eligere.

Respondeo negativè; scilicet neminem unquam excludi posse, prætendendo, quòd sit voce privatus, aut inhabilis redditus, nisi servatà formâ judicii sit privatus voce, vel declaratus reus criminis per sententiam (& quidem talem, quæ transierit jam in judicatum, seu cujus effectus non sit suspensus per appellationem; privatio enim vocis, passivæ non est censura, quæ non suspenditur. Suar. de relig. r. 4. tr. 8. l. 2. c. 2. l. n. 13.) cum sit adhuc

in possessione sui juris & eligibilitatis, quâ per vim privari nequit. Pass. cit. c. 25. n. 600. ubi etiam, & n. 602. ait Superiores non posse ex propria scientia vel arbitrio talem excludere ab electione, uti nec præcipere Electoribus, ne talem eligant, nisi ordine judiciario præmissis eum per sententiam (ad quam ferendam specialiter requiruntur indicia reum convincentia. Sigism. à Bon. dub. 91. n. 9. Pass. n. 601. illiusque citatio, & interrogatio. Clar. l. 5. q. 8. §. fin.) vel privent voce, vel declarent, eum commisisse crimen, cui annexa est dicta pœna privationis ipso facto cum licet Prælati regulares in judicando non ita sint adstricti apicibus juris, servare tamen debeant substantialia Clem. sepe. de verb. signif. Ab. in c. dilectus. Nav. l. 2. cons. 1. de sent. & re judic. Rodrig. Sigism. à Bon. & c. apud Pass. qui etiam n. 603. de rationem disparitatis, cur superior, etiam extra judicialiter informatus de Electi infamia, possit eundem repellere à confirmatione; non verò sic possit eum excludere ab electione, quia nimirum confirmatio, non autem electio commissa est arbitrio Superioris.

Questio 287. An Electores præcisè ratione privationis vocis passivæ, nondum declarata per sententiam, teneantur in conscientia talem excludere (intellige) negativè, nimirum non eligendo?

Respondeo Negativè: Talis enim privatio confertur illis occulta; quia non cõstat illis de ea juridicè. Pass. n. 604. quin etiam peccabunt contra justitiam vel charitatem, si prætextu talis delicti adhuc occultis, illum manifestando, illum non eligant. Nihilominus quoad quæ per accidens tenebuntur talem non eligere, ratione nimirum scandali, dum is de delicto est diffamatus.

Questio 288. An inhabilis ipso jure, aut privatus ipso jure voce passiva, ante sententiam declaratoriam teneatur in conscientia non consentire electioni, aut confirmationi; vel si consenserit, & receperit Prælaturam, illi renunciare?

1. Respondeo primò: quaestionem hanc gravissimam pendere ex generali illa, nunc lex penaliter lata sententia ferat secum executionem, obligetque in conscientia ad exequendam pœnam ante sententiam declaratoriam criminis, de quo vide Suar. de LL. l. 5. c. 9. Sanch. de matr. l. 9. d. 30 & l. 2. sum. c. 39. Pass. cit. c. 25. q. 51. Negativam, excipiendo censuras, præter quam plurimos tenentidem Pass. Sanch. Laym. l. 1. tr. 4. c. 15. Mol. to. 1. tr. 2. gl. 96. Sa. v. fiscus Sylv. v. aff. finus. n. 4. Covar. l. 4. decret. p. 2. c. 3. §. n. 10. &c.

2. Respondeo tamen secundò breviter in specie ad quaest. propositam negativè; sic in terminis propriis de pœna privationis vocis activæ & passivæ tenent Graù p. 2. contr. 7. tr. 3. p. 1. d. 13. §. 2. n. 15. Mol. loc. cit. n. 8. Armil. v. lex. n. 1. Castell. de elect. prælud. l. n. 20. Peyr. in suad. q. 2. c. 2. §. 11. conc. 3. Bass. v. panna. n. 7. Castrop. p. 1. tr. 4. d. 4. p. 4. n. 4. Dian. p. 1. tr. 19. r. 76. 24. De pœna verò inhabilitatis in terminis præter Mol. Bass. Peyr. loc. cit. Sanch. in decal. l. 2. c. 39. n. 32. Navar. Villalob. Lezan. & plures alii cit. à Pass. n. 626. Quinimo semper desiderari sententiam declaratoriam criminis, etiamsi lex imponens pœnam non tantum utatur particulis istis: ipso facto; sed aliis

ex

expressioribus v.g. absque declaratione, ante omnem declarationem. Absque ullo superioris decreto, ministerio vel sententia, &c. dictaque particulis; absque declaratione, aliisque similes intelligi solum de declaratione poena, tenent Covar. loc. cit. n. 10. Less. l. 2. c. 29. n. 63. Valq. p. 2. q. 96. a. 5. d. 170. c. 4. n. 24. Peyr. loc. cit. Lezan. Rodriq. Lopez, &c. cit. à Pass. num. 627. contra Sylv. loc. cit. Azor. ro. 1. l. 3. c. 7. q. 6. aitque Mol. loc. cit. leges imponentes poenam ipso facto requirere ad executionem poenae sententiam, nisi verba luce meridiana clariora contrarium importent.

Questio 289. An is, qui semel rejectus ab electione, seu cuius electio, non ob vitium electionis perperam instituta, aut electorum v.g. excommunicatorum, sed propriam persona electa, semel cassata fuit, maneat deinceps ineligibilis ubique?

1. Respondeo primò: si crimen à persona electi commissum circa ipsam electionem, aut effectum illius, videtur manere ineligibilis, usque dum cum eo dispensetur. Laym. in c. super eo. de elect. n. 2. v. g. qui simoniace curavit se eligi, aut promoveri, de quo q. post hunc 3. item qui per abusum secularis potestatis passus est se eligi, ut habetur c. quisquis. de elect. Verum & tunc vitium fuit ipsius electionis, seu illa perperam instituta. Item cuius cassata electio, quia ante acceptam confirmationem se administrationi praelaturae intrusit. Laym. loc. cit. juxta c. qualiter. de elect. & gl. in c. n. 8. f.

2. Respondeo secundò: etiam dum crimen commissum extra electionem, seu independenter ab electione (juxta limitationem tamen dandam q. seq.) semel propterea rejectus manet deinceps ineligibilis, c. super eo. de elect. Fel. in c. super bis. de accus. Sylv. v. electio. q. 14. Miran. ro. 2. q. 23. c. 11. Peyr. in subd. q. 1. c. 31. §. 8. Pass. cit. c. 25. n. 634. licet enim quis per hoc, quòd ob vitium proprium repellatur ab electione non incurrat infamiam juris. c. 1. de excep. gl. Ab. Bald. in c. super eo. b. t. (sententia enim lata per viam exceptionis non infamat; neque enim, dum alicui obijcitur crimen, & probatur excipiendo, ut repellatur ab aliquo actu legitimo, puniri potest poena ordinariâ, v. g. infamia juris; cum vi talis sententiae satis puniatur per repulsam ab actu legitimo) remanet tamen infamis infamia facti, propter quam, si infamatus suspendi debet ab officiis habitis, donec se purgavit, argumento c. 2. & c. inter sollicitudines. de purgatione Can. multò magis impediri debet, ne beneficium non habitum acquirat; adeò que ab electione (idem est de praesentatione, collatione, aliave promotione Pass. n. 635.) repellit, non secus ac testis à testificando, dum ei probatur crimen, propter quod semel rejectus fuit; quòd addo, quia non sufficit probari, electionem ejus semel cassatam fuisse, sed requiritur, ut insuper probentur eam cassatam ob crimen ei probatum, vel sententiatum per sententiam, quae transferit in judicatum, & non constet de poenitentia illius rejecti sufficiente. Pass. n. 634. Malèque etiam dicitur, ad repellendum electum à nova electione sufficere quòd probetur infamia absque eo, quòd probeatur crimen; cum nequeat probari infamia facti orta ex ista repulsa, non probato crimine, seu quòd rejectus fuerit ex tali delicto. Pass. n. 636.

Questio 290. An igitur semel rejectus maneat quoque perpetuo ineligibilis?

1. Respondeo primò: si rejectus fuit ex crimine plene probato, manet ineligibilis, usque dum infamiam hanc natam ex hac repulsa, utpote quae facti est & temporalis, poenitendo de crimine, ob quod repulsus, aliisque beneficiis sufficienter diluerit, & de hoc confiterit. Pass. n. 637. Laym. tamen in c. super eo. de elect. n. 2. ait: etsi textum juris expressum nullum habeamus, vi cuius talis post plene emendatum & sublatum crimen vetetur denuò eligi, aut promoveri, quia tamen AA. argument. cit. c. super eo. sic docent, ut Abb. in cit. c. n. 4. (extendens idem expressè ad praesentationem & collationem) Host. in sum. cit. de elect. §. si quis eligendus. n. 10. ideo in praxi retinenda est ea doctrina, quòd repulsus ob crimen iterum eligendus, aut promovendus non sit, nisi Superioris dispensatio praemissa cognitione de praesenti habilitate personae accedat, idque confirmatur ex c. post transl. de renuntiation. ubi: si quis propter criminis conscientiam praelaturae renuntiavit, aut renuntiare coactus, vel depositus fuit, iterum eligi non potest. Ratio hujus est, quòd per ejusmodi ob crimen commissum, factam repulsam, renuntiationem, depositionem exstinctio illius non parum gravetur, ut nova electio, aut promotio non ita facile permittenda. Laym. loc. cit.

2. Respondeo secundò: si rejectus fuit ex crimine praesumpto, dum postea purgaverit se, non est à secunda electione repellendus. Pass. ib. Peyr. in subd. q. 1. c. 31. §. 8.

3. Respondeo tertio: si rejectus fuit ob defectum, qui non est crimen, v. g. quia ob circumstantias extrinsecas non expediebat illum tunc, vel pro tali loco eligi, vel confirmari, manet eligibilis pro alio tempore vel loco, ubi cessant dictae circumstantiae. Item si rejectus ob infirmitatem, eà cessante erit eligibilis; in quo casu spectabit ad electum probare, se sanatum, si morbus fuit ex durabilibus, v. g. amentia, aliàs si morbus fuit ex iis, qui durare diu non solent, & non facile curari, spectabit ad excipientem probare morbum adhuc durare. Pass. n. 640. Peyr. loc. cit. Laym. ad c. super eo. de elect. num. 2. citans Rodriq. regular. qq. 10. 2. q. 54. a. 5. Imol. Jo. And. Butrio in cit. c. super eo. & scilicet Theol. mor. tr. 5. p. 5. c. 7. num. 2. & 3.

Questio 291. An dum simpliciter cassata fuit prior electio, nullâ reddidâ ratione, cur cassatur, num ex vitio personae, num ex vitio formae, rejectus maneat infamis, & ineligibilis?

1. Respondeo primò: ubi confirmator agit ex iustitia, & medio processu, dum, si oppositum fuit contra personam, & electio cassata, praesumitur ex vitio personae, & sic rejectus manet infamis & ineligibilis; si verò exceptum fuit solum contra electionem, praesumitur cassatio facta ex vitio formae, uti etiam, si oppositum fuit contra personam & electionem; cum in odiosis faciendâ sit benignior interpretatio. Abb. & Bald. in c. super eo.

2. Respondeo secundò: dum confirmator agit ex boni viri arbitrio, & principaliter intuitu boni communis, electo jus non acquirente ex electione, uti fieri solet apud plures regulares, ubi ex decreto cassationis non constat de causa cassationis, neque ex processu, qui non formatur, dū confirmatio est arbitraria, neque ex oppositionibus contra personam